90)

140

S. P. Admodum Reverende & Clarissime vir, & Amice pl. dilecte

Humanissimas tuas per Bibliopolam vestrum hoc ipso die recte accepi. Non fert amicitia nostra, ut ipsum dimittam, quin saltem resalutem, & aliquantum reponam. Ut enim gratum mihi fuit, quod coram colloqui potuimus, ~~[illegible]~~ quanquam ~~[illegible]~~ optassem, ut licuisset liberalius & diutius; ita non potest non esse acceptum, si saltem literis conferre valeamus frequentius. Et ea inter parentes nostros, nosq; ipsos, hactenus fuit amicitia & fides probata, ut tutius inter nos agere queamus. Novimus etenim, quam alias amicitia sincera ac fides sit dubia.

Bremensium nostrorum anceps status me valde afficit, ipsoq; avide expecto, ut tandem optatum sortiatur exitum. Speramus autem brevi negotium iri compositum, siquidem D.D. Delegati etiam a nostris DD Ordinibus missi causam urgebunt. Anglos quoq; Bremensium aliquam curam suscepisse, & eorum causa ad Serenissⁱ Regem Sueciae jam serio commendasse fertur. Ad te proinde quod attinet, agnosco equidem non sine causa te solicitum esse. Te ~~[illegible]~~ incendio ~~[illegible]~~ temere committere, non foret consultum; Vocationem vero recusare, & patriae Ecclesiae ac Scholae deesse per pietatem non licebit. Et forte optarent aliqui, ut Bremam non venias. Atq; hac ratione impedire possent, ne posthac vocatio ulla in Patriam repeteretur unquam. Harderwicum etiam optime velim, nominatim simul generi mei causa; metuo tamen, ne Academia tandem plane sit collapsura, quo facto grave foret auditorio destitui. Consilii itaq; quid suppeditem, vix video. Prudenter aliquantum negocium protrahere possis; Bremenses tamen Dei gratia restituendos ~~[illegible]~~ nullus dubito. Successorem tibi optarim, in quo acquiescant, quiq; Ecclesiae & Academiae sit ornamento. Valkenierum tam cito mutatum, miramur, etsi, qui eum norunt, non adeo mirari videantur. Precibus porro nos mutuo juvabimus.

In opere nostro strenue pergimus, & jam in Proverbiis Salomonis occupamur, ut speremus multorum opinione citius nos expedituros. Atq; inde est, ut vix otium sit, cum atq; alterum ex Dominis, Professoribus, Pastoribus, & Amicis salutandi. Salutem tibi tuisq;, & quotquot nobis apud vos favent & amici sunt, ex animo precor

R. T. D.

obsery.

Abdias Widmarius

Lugduni Batav. 6/16 Nov
aᵒ 1654

1654. Nov. 6/16.

Abd. Widmarius

Admodum Reverendo
& Clarissimo viro, Dno
Henrico Flockenio, S. S.
Theol. Doctori & Professori
celeberrimo,

Ab ... Widmetii.
Hardervici

p amicas manus,